

1579
*Bellagardius Salassios occupat.
 Venetorum cum Pontifice officia.*

At eodem tempore cum Bellagardium Salassios penitus occupasse nunciaretur, inopinato eventu commoti Patres, cum Gregorio agunt, ut sua auctoritate belli in Italiae faucibus insurgentis initia opprimat, quæ si incrementa susceperint, nulla humana ope remedium adhiberi queat. *Quis enim arbitretur Galliae Regem se præcipua ditione exutum, atque indigne Italia pulsum impune passurum? Immo potius non existimet, nullum non lapidem moturum, ut illatas injurias ulciscatur, ademptosque sibi Salassios cunctis, nullo religionis discrimine, in id collatis viribus, recipiat? Inde quot calamitates, quot portenta eventura sint, neminem paulo in rebus humanis versatum ignorare. His addi, quod bello Hispanico Galliae Reges sæpius ad Turcarum necessitudinem confugerint, auxilia exciverint, classes portubus exceperint: verendum esse, ne hisce exemplis ab iisdem Henricus auxilium ad res suas ab Hispanis tuendas efflagitet; idque eo magis sibi licere existimet, quod non aliena occupandi, sed erepta recipiendi studio contenderet. Itaque Pontificem orare, ne bono publico desit, ut, quod horum motuum initio ipse per suum legatum Reipublicæ suaserat, modo mutuis ejusdem adhortationibus efficere velit. Verum Gregorius propensam in commune bonum voluntatem amplissimis verbis testatus (quanam ex causa incertum) rem tanti facere, quanti antea fecerat, minime visus est. Quocirca Patres de Henrici ingenti animi commotione certiores facti, quem irarum æstu fere præcipitem agi ferebatur, statimque Lugduni adfuturum, ac, ni alia ratione ditiones suas recuperare queat, ad arma venturum; nihil ad restringendum incendium prætermittendum rati, Ferrerio quæ nuper contigerant, exponenti, Henricique nomine opem, consiliumque poscenti, Senatusconsulto respondent: *Plenam periculi aleam existimare, hoc tempore in christiana republica arma excitare, quæ præteritis bellis attrita, nec minus internis dissidiis, quam externis certaminibus labefactata, quiete potius ad vires recuperandas indigeret, quam ut fluctibus acrius jactata ingenti communis hostis letitia naufragium perpeti cogeretur: Henricum propterea hortari, rogare; omnia prius, quam ad arma descendat, experiatur; difficile non arbitrari, Bellagardium in Regis potestate futurum, cum Biragi tantum inimicitia**